

*111. Instrumentum confexionis et
ratificationis di Masello de Sacco in
favore della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*111. Instrumentum confexionis et
ratificationis di Masello de Sacco in
favore della chiesa della Ss. Trinità*

1418-02-28

(c. 277v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen.
Anno a nativitate eius millesimo quatricentesimo
ottavo decimo, regnante serenissima domina nostra
domina Iohanna secunda Dei gratia Hungarie,
Hierusalem, Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie,
Galitie, Lodomerie, Bulgarieque regina, , Provincie et
Forcalquerii ac Pedimontis comitissa, regnorum vero
eius anno quarto feliciter amen, die ultimo mensis
februarii, undecime inditionis, apud civitatem Marsici.

Nos notarius Nicolaus de Michaelae ipsius civitatis
Marsici annalis iudex, Nicolaus de Ianuardo de preditta
civitate Marsici puplicus ubilibet per totum regnum
Sicilie regia autoritate notarius et subscripti testes
ad hoc specialiter rogati et vocati, presenti scripto
publico instrumento declarantes fatemur, notumfacimus
et testamur quod in nostri presentia constitutis venerabili
viro donno Angelo de Rotundo, archipresbitero ecclesie
Sante Trinitatis de civitate Potentie, procurator C
procuratorio nomine et pro parte ecclesie eiusdem
habente ad id et infrascripta speciale mandatum, ut
dixit, presente, agente et stipulante nomine et pro parte
ecclesie eiusdem, <presente> ex parte una, et Masello
de Sacco de Potentia, habitatore eiusdem civitatis
Marsici, ex parte altera, ipse quidem Masellus, ad
interrogationem sibi sollemniter fattam coram nobis per
eundem archipresbiterum, nomine quo supra, sponte
confexus fuit ac suo proprio prestito iuramento firmavit
quod olim, die nono mensis ianuarii nuper proximi
preteriti presentis undecime inditionis, in preditta civitate
Marsici predittus archipresbiter, nomine et pro parte
ecclesie iam ditte, ad convenientiam pervenit cum ipso
eodem Masello coram venerabili // (c. 278v) viro fratre

Torello abbate monasterii Santi Stephani de Marsico, fratre Cicco de Calvello, fratre eiusdem monasterii, donno Nicolao de Zappo de Potentia et magistro Ioanne de Ansia de ditta civitate Potentie et quampluribus aliis testibus ad id vocatis et rogatis. Et ipse Masellus coram eisdem non vi, non dolo neque metu, nec aliquo vitio suasionis vel circumscriptionis induttus, sed sponte et eius mera, libera et gratuita voluntate, sicut ei gratum apparuit et congruum visum fuit pro meliori, vendidit preditte ecclesie Sante Trinitatis et preditto archipresbitero, presenti et nomine et pro parte ditte ecclesie ementi et stipulanti, quoddam territorium quod dittus Masellus dixit quod iuste tenebat et possidebat sive tenet et possidet in territorio ditte civitatis Potentie, in loco ubi dicitur Mala Mullere, iuxta territorium terre Titi, iuxta territorium terre Picerni, iuxta vallonem Thore, iuxta vallonem Lupi, iuxta vallonem Calogni, iuxta terras notarii Cicci notarii Iacobi, iuxta terras notarii Nicolai de Cortisio, iuxta vias publicas et alios confines, cum arboribus fruttiferis et infruttiferis, aquis, aquarumque decursibus et cum omnibus infra se habitis et contentis, pro iusto pretio inter eos convento unciarum viginti septem de carlenis argenti boni et iusti ponderis, sexaginta per unciam computandis, et licet eidem Masello visum fuit, ut dixit, predittum pretium fuisse // (c. 279r) iustum, tamen si quid plus valebat et valeret dittum territorium, Masellus ipse donavit preditte ecclesie Sante Trinitatis donationis titulo inrevocabiliter inter vivos et ipsi archipresbitero, presenti et recipienti et stipulanti nomine et pro parte ditte ecclesie, ob causam quod clerici et presbiteri ditte ecclesie tenerentur et teneantur omni tempore in futurum et quolibet anno pulsare et celebrare anniversarium et

orare pro animabus <quondam> parentum ditti Maselli in die tertia mensis novembris perpetuo annuatim futuri. Cuius quidem pretii archipresbiter ipse solvere promisit uncias septem infra otto dies a tunc in antea numerando et reliquas uncias viginti in prima vel secunda egdo(m)mata <sic> sante Quatragesime prime future. Et proinde predictus archipresbiter, nomine quo supra, nomine veri et pagamenti <totius> pretii predicti dedit et assignavit predicto Masello tunc presenti et recipienti, ut dixit, carlenum unum infra quos predictos otto dies ac archipresbiter ipse assignavit seu assignare fecit predicto Masello presenti et recipienti et constituenti se precario nomine possidere predictum territorium donec predicta ecclesia vel dittus archipresbiter ipsius corporalem accipiebat possessionem, pro pretio ditarum terrarum uncias septem iam dittas; quibus per ipsum receptis, Masellus ipse tunc in presentia Maselli Capani de civitate Marsici, Nicolai iudicis Richardi, <Cobelli> predicti domini abbatis monasterii Santi Stephani monasterii // (c. 279v) Santi Stephani, donni Nicolao de Zappo, diaconi Petrelli de Gisualdo, magistri Laurentii de Populo et quamplurium aliorum testium obligans nunc se, suos heredes et bona sub pena et ad penam unciarum auri centum, rato manente patto, et iuravit ad santa Dei evangelia predictam venditionem ratam habere et firmam et ipsius territorii possessionem vacuam assignare et tradere et ad maiorem cautelam ecclesie eiusdem fieri facere de premissa venditione publicum instrumentum ad consilium sapientis, omni debita sollemnitate vallatum. Igitur ipse Angelus presentialiter coram nobis qui supra iudice, notario et testibus infrascriptis, volens suam promissionem et fidem attendere atque veritatem recognoscere,

predittam venditionem dicti territorii predictis loco et
 finibus designati ut factum predictae ecclesie et ipsi
 archipresbitero, nomine eiusdem, tamquam puram,
 perfectam et sine dolo vel fraude ad interrogationem
 predictam confexus fuit et ratificavit et acceptavit ac
 predictam donationem ob causam predictam fore factam
 pure, publice et bona fide et sine aliquo vitio suasionis,
 modo et forma superius expressis et pro pretio iam
 dicto confexus fuit et suo prestito iuramento // (c.
 280r) firmavit coram nobis recepisse et habuisse a
 predicta ecclesia Sante Trinitatis uncias septem de
 carlenis argenti, sexaginta per unciam computatis, et
 reliquas viginti de simili pecunia presentialiter et
 manualiter coram nobis idem Masellus recepit et habuit
 a dicto archipresbitero presente, tradente, numerante et
 assignante nomine quo supra, traddens Masellus ipse
 predictae ecclesie et predicto archipresbitero, nomine et
 pro parte ipsius, territorium predictum predictis loco et
 finibus designatum, cum introitibus et exitibus, iuribus et
 pertinentiis suis omnibus, cum authoritate possessionem
 territorii ipsius corporalem sive vacuum apprehendendi,
 intrandi et recipiendi absque contrarietate aliqua ipsius
 Maselli vel heredum suorum promittensque dictam
 venditionem, traditionem, donationem et omnia alia et
 singula in presenti instrumento contenta habere ratas,
 gratas et firmas atque grata, rata et firma et contra
 non facere vel venire, dicere vel opponere nec dici
 vel opponi consentire, in iudicio vel extra iudicium,
 de iure vel de facto, publice vel occulte, omnino
 semper et ubique dicet, pretendet et allegabit <sic>
 se fecisse predictas donationes et venditionem // (c.
 280v) olim die nono mense <sic> inditione predicti,
 modo et forma superius expressis, pure, publice et bona

fide et nullum habere ius contraveniendi vel aliqua de premissis in totum vel in parte irritandi, sed predittam ecclesiam defendere, autorizare et disbrigare ab omni persona vel parte contraveniente sive ius habente supra ditto territorio sive de fatto controversiam dante atque dittam ecclesiam semper in possessionem ditti territorii potioem facere et pro ea iudicium subire ad omnes ipsius Maselli sumptus et expensas statim et incontinenti, sibi denunciatione fatta tam ante litem contestatam quam post et de evitione teneri, denunciatione aliqua non fatta vel fatta, non obstante etiam quod predittum territorium fuisset vel esset propter inprudenciam iudicis vel culpam et negligentiam ditte ecclesie, rettorum et presbiterorum eiusdem compromittentium absque conscientia sua vel aliter per contumaciam vel negligentiam culpantium et vittium quibuscumque iuribus, legibus et constitutionibus in contrarium adversantibus non obstantibus quoquomodo, cum sic inter predittos contrahentes pro speciali // (c. 281r) patto habitum extitit et conventum nullasque litteras, rescriptum vel privilegium, cedulas sive scripturas papales vel regales sive episcopales vel a quocumque domino ecclesiastico vel seculari iustitiam, vigorem vel equitatem mandantium vel veritatem continentes, sub quacumque specie vel forma inpetrare nec inpetratis uti, per quas vel que preditta vel aliquod predittorum irritari et annullari possint, in totum vel in parte diverter(e), perverter(e) vel violar(i) cum ipsis omnibus, Masellus ipse ex eius certa scientia coram nobis expresse renunciavit pro quibus omnibus et singulis predittis et subscriptis attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis per eundem Masellum et eius heredes, dittus Masellus sponte, voluntarie et expresse obligavit

se, suos heredes et bona sua omnia mobilia et stabilia, habita et habenda, ubicumque sita et posita, nomina debitorum, iura et actiones, prefato archipresbitero presenti, recipienti et stipulanti, quo supra nomine, ad penam et sub pena duppli totius pecunie supraditte, medietate scilicet ipsius pene reginali curie vel alteri curie ubi exinde reclamatio fatta fuerit applicanda et reliqua medietate ipsius pene ditte ecclesie Sante Trinitatis integre persolvenda, me predicto notario publico // (c. 281v) pro parte ditte curie et ditto archipresbitero pro parte ditte ecclesie ab eodem venditore solemniter et legitime stipulantibus penam ipsam; qua pena commissa, soluta vel non soluta aut gratiose remissa, presens publicum instrumentum cum omnibus que in se continet nihilominus in suo robore perduret, cum integra refectioe dannorum interesse et expensarum litis et extra litem que fierent propterea quoquomodo, de quibus dannis, expensis et interesse petatur, stetur et credatur iuratorie assertioni tantum dicti archipresbiteri seu alterius nomine ditte ecclesie aut ipsius ecclesie procuratoris, nulla alia probatione quesita, ita quod reduci non possit nec haberi recursus ad arbitrium boni viri seu comodolibet <sic> appellari vel etiam exinde reclamari; atto expresse inter partes easdem quod pena pecuniaria predicta per infrascriptam penam periurii et e converso una per aliam non tollatur, differatur vel annuletur, sed una commissa, exatta vel intentata, alia nihilominus peti, exigi et intentari possit. Renuncians propterea dictus Masellus venditor ex certa eius scientia voluntarie et expresse super hiis exceptioni // (c. 282r) doli mali, vis, metus et in factum, legi que incipit <rem> maioris pretii qua deceptis in venditionum contrattibus ultra dimidiam iusti pretii subvenitur, iuri

per quod generales renuntiationes inipugnantur seu iuri dicenti renuntiationem ipsam non valere et omni alteri iuri canonico et civili, scripto et non scripto et legum auxilio, constitutionibus inperialibus et regalibus, consuetudinibus quibuscumque, legi prohidenti penam in contrattibus in fraudem usurariorum apponi, conmitti, exigi et exposci conditioni indebite sine causa, ob causam, ex iniusta, nulla et turpi causa, fori privilegio, beneficio restitutionis in integrum et omnibus aliis iuribus, exceptionibus et allegationibus quibus a predittis vel aliquod premissorum se posset defendere vel tueri, de iure vel de facto, in iudicio vel extra iudicium seu modo quocumque, certioratus prius dittus venditor ante renuntiationem eamdem de iuribus ipsis et effectibus eorundem, ut dixit, et pro predittis omnibus adimplendis et inviolabiliter observandis et de contra ea vel ipsorum aliquod non veniendo, predittus venditor coram nobis tattis per eum sacrosantis Evangeliis eidem archipresbitero quo supra nomine presenti et stipulanti corporaliter // (c. 282v) prestitit debitum iuramentum. Et voluerunt partes ispe quod si in presenti contrattu vel instrumento aliqua deesset solemnitas vel minime atta scripta possit semel bis et quotiens opus erit refici et emendari et de novo fieri, additis et mutatis clausulis, utilibus et necessariis donec sit efficax ad <sensum et> consilium sapientis, veritatis substantia non mutata, etiam parte altera non vocata, super quo renuntiaverunt, ut supra, iuri dicenti in refettionibus instrumentorum partem que ledi posset vocari debere.

10

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

Unde ad futuram memoriam et tam ad certitudinem
et cautelam predittorum ecclesie Sante Trinitatis ac
preditti archipresbiteri quo supra nomine, quam aliorum

A Laverii

A Masellus

A cognoscere

A fattam piuttosto che *ut fattum*

A quinymmo

A ianuarii

A evictione

A rigorem

A serie

A diverti

A perverti

A usurarum

A minus

quorum interest et interesse poterit, presens publicum instrumentum exinde fattum est per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, nostrum qui supra iudicis et subscriptorum testium subscriptionibus et subsignationibus roboratum. (SN) † Ego notarius Nicolaus de Michaeli qui supra annalis iudex † Ego frater Cobellus de Palma abbas monasterii Santi Stephani de Marsico in primis et secundis testes testis interfui et me subscripsi † Ego Petrus Genticor testis sum † Ego frater Ciccus de Amico monacus monasterii Santi Stefani // (c. 283r) de Marsico testis sum † Ego Simonellus Spoliax testis sum † Ego donnus Antonellus de Stephano de Vineola testis interfui † Ego notarius Nicolaus Fulgarius testis sum † Ego Martinus Frisonus de Rapolla iuris peritus preditte confexioni et ratificationi testis interfui et me subscripsi † Ego Masellus Capanus in primis et secundis testis testis interfui et me subscripsi † Ego Nicolaus iudicis Filippi in secundis testis interfui et me subscripsi † Ego Federicus Vulturus testis sum † Ego Nicolaus de Cayano testis sum † Ego Brutius de Baiano testis interfui et me subscripsi † Ego notarius Stabilis notarii Perri de Pirreno testis interfui et me subscripsi † Ego Colellus iudicis Filippi testis interfui et me subscripsi

15

16

17

A gestis
A Gentocor(e)
A Fulgarinus

12

18

19

20

21

A gestis

A gestis

A prior de Dyano

A Picerno